



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## CLASSIS II.

## ADEIPARA.

Diputra  
Societatis  
nutrix, &  
fautrix.

In Ignatij  
conuersio-  
ne.

Et in Ex-  
ercitiorum  
Libello.

Cuius se  
fundatri-  
cem, &  
Magistrum  
fatur.

2.



Vius erga Societatem patrocinium multiplex eniuit. In primis dum Ignatium ad Societatem IESV fundandam aptauit, ei sua presentia naufragium rerum terrenarum adferendo, eum sanctioris vita incundâ desiderijs inflammando, Castitatisque cingulo praecingendo, augustissima enim specie ac beatissimo lumine fulgens una cum parvulo IESV, non modo palam sese ei ostendit, verum etiam incredibili benignitate spectandam diu prabuit, tantumque repente odium, fastidiumque rerum terrenarum Ignatio ingessit, earum praesertim que cum in honesta voluptate coniuncte sunt, ut omnes rerum illarum imagines, ex hominis memoria confessim aspectus ille Deipara ac puerili IESV deterserit, & ex eo tempore ad extremum usque vitæ diem Ignatius plane omni sensu libidinis caruerit, donumque altissimum eximia castitatis consecutus sit. Sic apud Lancicum Opuscul. spiritual. Tom. 2. opuscul. 17. num. 175. Et ita ad Societatem fundandam Ignatius aptatus à DEIPARA.

AB EADEM : Quæ cum idem S. Ignatius ad meliorem vitam conuersus esset, eum nondum literis excultum, docuit illum Orandi, & vitam spiritualem instituendi modum, ac discretionem spirituum, qui est ab eo in libello illo aureo Exercitiorum expressus, quo & se, & primos socios ad hanc Societatem instituendam excoluit, & in cuius meditatione primo post suam conuersiōnē anno, idem Societatis a se fundandæ diuinitus cognovit, & eius Libelli se esse fundatricem, & Magistrum Deipara per Gabrielem Archangelum missum cuidam sanctissimæ Virgini, reuelauit; atque ut illa eius legatione fidem indubiam adhiberet, Deus antea illam premonuit. Ita Ibid. n. 175.

AB

AB EADEM : Cum S. Ignatius socijs nouem auctus , eorum ro- In Constitutionibus  
gatu , Constitutiones Societatis scriberet , præter frequentissimas vi- scribendis.  
siones Diuinarum Personarum , quas in confirmationem earum , quas  
scribebat Constitutionum pene quotidie habebat , sæpe etiam Beatissi-  
mam Dei Matrem vidit , pro se intercedentem , & Constitutiones  
illas confirmantem . Ibid. n. 177.

AB EADEM : Fundata iam Societate , & per Apostolicam Se- Et in Societatis  
dem saepius confirmata : cui Beatissimæ Virgini quam ea sit chara , sub eius  
ostendit in primis P. Martino Gutierrez Hispano , viro sanctissimo , tegumento  
cuius mortui in carcere ( in quem ab Hæreticis Gallis coniectus fue- prætegen-  
rat ) animam B. Terezia vidit cum aureola Martyrij calum intran- dis ,  
tem , ut supra vidimus . Apparuit enim illi Virgo Sanctissima , exi-  
mia admodum specie micans , veste in magnam latitudinem expansa ,  
ac sub ea veste Societatem totam collectam continens , quam illa ma-  
terno affectu complectebatur , eoque quasi charitatis ac gratiae tegu-  
mento , confouebat . Ita Ibid. n. 178. Et simili modo ( subditur ad si- Et contra  
nem eiusdem numeri ) cum Bransberga in Prussia Saga quadam ope Sagam  
Diaboli esset noctu vecta per aerem , & intra Collegium illata , & quandam  
videre cuperet , quomodo Societatis homines suis in cubiculis cuba- occultadis .  
rent , quamuis videret portas cubiculorum apertas , nullum tamen  
prorsus videre potuit iacentem , eo quod Deipara Matrone veneran-  
da specie apparens , Pallio suo expanso aspectum illius omnem impedi-  
ret . Quid dulcius filijs potuit pientissima Mater exhibere ?

AB EADEM : Ad Cuius erga Societatem IESV benevolentiam Et in mul-  
referri debet , quod multis sua serit Beatissima Dei Mater , eis manifestè  
apparens , vel celesti sua voce excitans nominatum , ut eamdem IESV  
Societatem ingredierentur . Hoc modo ad Societatem traxit B. Fran-  
ciscum Borgiam , & P. Ioannem Nunnium , postea Æthiopæ Patri-  
archam , & P. Martinum Olaium , & P. Bartholomeum Busta-  
mantum , & B. Stanislau Kostkam , & B. Aloysium Gonzagam ,  
quale par iuuenum in Societatem ingredi iusit . Et P. Petrum de  
Añasco , & P. Sebastianum Barradium , & P. Bernardinum Reali-  
num , & P. Alexandrum Dobokay Vngarum , & Herarium Girel-  
lum , & Thomam Perusinum virumque laicum , & tandem alterum

P. Ioan-

P. Ioannem Nunnium ex nobilissima Guzmanorum familia: omisis alijs, qui minus celebres sunt, & minus noti. Ita Ibid. num. 179. Et de predicto P. Ioanne Nunnio id speciatim additur in Imag. 1: sec. Soc. lib. 2. cap. 9. fol. 236. quod cum is de vita statu dubius, Celi Reginam, quæ fluctuantibus Cynosura est, suppliciter imploraret, illa se videndum prebens, Vis ne (inquit) Filio meo seruire ad defatigationem? Cum se velle respondisset, subiunxit Virgo: Hos ergo (Fabrum, & Stradam, quos habebat in comitatu designabat) nihil hæsitans sequere. Nec multo post homines per Visum oblatos obuios habuit, & secutus in Societate est. Quantus hic Deiparæ fauor erga Societatem facile patet intenti.

In varijs  
etiam ap-  
paritioni-  
bus.

Prima ap-  
paritio,

secunda.

AB EADEM: Quæ non minorem fauorem ei præstítit, quām plurimis apparitionibus, quibus Beatissima Virgo plurimos è Societate nostra, & Sacerdotes, & Clericos & Coadiutores nostros solari, & confortare in suscepto vita genere dignata est, & seculares incitauit ad querendam spiritualem opem in nostra Societate. Plene sunt Annuae Literæ Societatis hisce Deiparæ Virginis fauoribus. Inter alios notabilis fuit ille Ioanni Baptiste Coadiutori nostro exhibitus.

Is in Societate bimestri spatio fuerat, cum à graui quadam tentatione fere superabatur, adeo ut de abitu è Societate inter semet cogitationes volueret: & ecce vidit Beatissimam Virginem Mariam ab uno latere adstantem sibi, habere S. Petrum, ab altero S. Barbaram, Beata Virgo eum solabatur, & robur addebat, & ut vita suæ conditioni acquiesceret, exhortabatur, & ut in ea perseueraret commonebat, æternam quippe salutem in ea consecuturum. Qua visione erectus firmiter in ea vocacione perficit, & alias grauiores visibiles Diaboli tentationes superauit. Ita apud Lancicum num. 181. ex R. P. Fr. Elia à S. Teresia sic scribente in legatione Ecclesiæ triumphantis lib. 2. cap. 31. num. 43.

AB EADEM: Anno 1584. alio mirabili, quod hoc pœstat, & narratur de Goana Nouitorum domo in Orientali India in hunc modum. Miles quidam, cum diu vocanti Deo, pertinaci mente resisteret, ob eamque causam, magnis conscientie stimulis agitaretur, stratus

ſtratus ante venerandam Dei Matris imaginem , extrema qua-  
dam circumſus luce , quam ſimul aſpexere quam plures , vſque eo  
animatus eſt ad parendum , vt ſtati abiecto peccatorum onore per  
confiſſionem , iuſtriorem diuine voluntatis ſignificationem non ex-  
peccarit , & ita Societati nomen dedit. Ibid.num.182.

Sic anno 1585. Burdegalē cum Adolescentis duodecimum annum Tertia  
agens , prima Societatis famā commotus , eiſe ſine cunctatione dica-  
uit , huic dormienti vox ad aures accidifſe dicitur , moriturum eſſe bre-  
ui : experrectusque cum timore , in preces flexiſe genua : affuiſſe re-  
pente eximia pulchritudine Mulier amictu candido , que huiuscemodi  
verbis illum affata eſt. Ades animo fili , & omitte timorem ,  
non dum moriere , prius voti (de ingressu in Societatem) com-  
pos efficieris. Quod viſum cum die inſequenti in Miffe ſacrificio  
recurreret , penè à ſenſibus aberraffe : cumque Socij ut in ſella pa-  
liſper requiesceret , hortarentur , nunquam de genu ſurgere , quo ſemel  
incubuerat , voluſiſe. Eadem de more precanti , & tractanti animo  
Christi vulnera , Christus quoque dicitur viſus verberibus lani-  
tus , eaqe ſpecie Adolescentem primo territum mirifice recreaſſe.  
Ibidem.

Sic circa annum 1587. in Legionensi Ciuitate Prouincie Castel- Quarta.  
lane , unus quidam erat ſimplex , & minime malus , duodecimum  
iam annum quotidiane percurrente Rosario , preces Deiparæ perſolute-  
bat , narrabat hic poſtea , iſpis quindecim , ſeu viginti continentे no-  
clibus , viſam ſibi Matronam Venerabilis ſpecie (Beatissimam Virgi-  
nem Mariam ſibi perſuadet fuſſe) à qua excitabatur hiſ vocibus: Le-  
gionem contendе , tuorum delictorum veniam à Iefuita ali-  
quo per integrum confeſſionem pete. Nec vanum fuſſe viſum  
interior animi motus oſtendit. Sic Ibidem.

Sic etiam huic ſpectat vocatio in Societatem P. Ioannis Fernandij Quinta.  
Concionatoris Apoſtolici ac celebris Sacrarum literarum in Romano  
Collegio . & in Hispania Professoris : qui cum primos emensuſ annos  
pueritie à Patre , cui unus erat , à ſtudijs humanitatis ad merca-  
turam vocaretur , cum mærens amore ſtudiorum , Toleti in ſua Pa-

tria ante Imaginem Beatae Virginis fuisse in preces, à cælesti Matre flagitaret, ne rei augenda causâ à literarum studio auelleretur, aliquamdiu perstiterat in precibus, cum leui somno occupatus, sibi visus est audire Diuinam Matrem, ex ipsa Imagine loquentem, sibique perennem, quam petebat studiorum cursum pollicentem, insuper Societatis IESV alumnum futurum prædicere, à qua tamen voluntate, erat ille in præsens alienus. Expperctus magna concepta animo letitia, Sanctissime Matri perpetuam Virginitatem vovit, quam ad finem usque, & corpore, & animo seruauit. Ita progressus in studijs, duodecimmo etatis anno in Societatem est admisus, statoque tempore inchoata studia absoluit. Ibidem num. 183.

sexta.

Sic anno 1591. In Prouincia Peruana, Indus ægrotans vidit noctu Mulierem eximia pulchritudine in candenti veste præsentem, de aduentu Sacerdotis nostræ Societatis, auxilio multis, & solatio futuri, cum hoc ad communicandos sermones non fore opus interprete, cum illorum linguam calleret: proinde eluerent apud illum conscientiæ labes, eiusque consilio vterentur: ipsum quidem si hoc fecerit, non multo post conualitum. Ægroti visum probauit aduentus promissi à Virgine Maria Sacerdotis: qui auditus est (externus quamvis esset) ita intelligenter & expedite loqui, ut auditores mirarentur. Et ille æger alloquio eius firmatus, breui valetudinem recepit. Ibid. num. 184.

septima.

Et anno 1592. In Gallia Adolescens Societatem nostram cogitans, ut parentum, ut domesticorum oculos vitaret, in remotissimam se ædium partem abdere consueverat, ubi solus cum Deo sine arbitrio versaretur. Huic cubitum eunti, extincto iam lumine, oblata in tenebris eximia species Virginis, quæ illum timore perterritum, ac se auertentem, nihilo secius blandè intueretur. Hoc illo viso mirum modum se in suscepto Consilio confirmatum sentit, nec dubitabat, quin illa Beata Virginis species fuisset. Sic Ibid. n. 185.

Et

Et eodem anno in Polonia, Quidam de suscipiendo Sacro vitæ Institutio (vnde excepta Societate, à qua mirum in modum abhorrebat) dum secum deliberat, in grauem mærorem incidit, qui illi causa ad mande Societatis fuit. Nam cum angore animi virgeretur, visus est sibi per quietem à B. Virgine admoneri, Ut si mcerore liberari vellet ad Christum (qui oppressus ærumnis adesse videbatur) consurgeret: Hunc igitur cum afflictum, & tacentem adolescens subleuare conaretur, eius vocem audire sibi visus est: Confide fili, quoniam me subleuasti, ipse vicissim à me subleuaberis. Qua ille voce permotus incredibili cupiditate Societatis exarst. Itaque contemptis sollicitudinibus ac minus potentissimi viri, in cuius fide, ac tutela erat, ex Polonia Brunam ad Novitiatum Societatis in Moravia situm profugit. Hec Ibidem Lancicius citatus ex varijs Annalibus, & Imagine 1. sec Soc. deprompta. Ex quibus constat multiplex patrocinium ac fauor Deipara erga Societatem.

Quanti autem fiat AB EADEM DEIPARÆ Vocatio ad Societatem, & in ea caste viuendi, ac ad mortem perseverandi solicitude, plus adhuc apparet in P. Iacobo Ledesma, qui cum esset ad Societatem vocatus viuente adhuc S. Ignatio, & Romæ tyrocinium inchoaturus, & deseruanda Castimonia, ac vita in Societate finienda, esset solicitus, post visum Christum Dominum, qui ei apparens, sanctissimum quo suo ore illum consolans, Äquo animo esse iusserat, daturum que se illi ut caste, & vsque ad extreum spiritum in Societate perseveraret, promiserat: adfuit quoque alio tempore, & loco Virgo Deipara cum tribus Comitibus Maria Magdalena, Catharina Virg. & Mart. & Catharina Senensi, ac dulcissime eum affata, non modo pudicitiam, & perseverantiam in Societate pollicita est, sed etiam rursus ad vitæ finem se ei apparituram: tuncque intellecturum, sibi vera pollicitam, quamque excellens donum sit cordis corporisque munditia: & quantum beneficium sit vocatio ad Societatem, & perseverantia in illa. Ita apud Lancicum cit. Opusc. spirit. Tom. 1. Opusc. 1. cap. 19.

Exercitia  
spiritualia  
quam gra-  
ta Dei-  
para.

AB EADEM : *Uni cuidam Exercitia spiritualia Societatis iam aggredienti , cuius explorata sanctus omnem fidem meretur , ipsa Deipara significante, Gratum sibi esse has meditationes , utpote quas , & ipsa dum vixit , semperque animo versasset ; ac deinde Ignatium docuisset , easque scribentem plurimum iuuisset . Hec Beatissima Virgo in summam & Ignatiij Parentis , suorumque exercitiorum commendationem . Ita refertur in Imag. 1. sec. Soc. lib. 1. cap. 5. fol. 74.*

*Quae So-  
cietate vti-  
tur ad Ha-  
reici con-  
uersionem.*

AB EADEM , Lutherani Ingolstadiensis sic per nostros Conuer-  
sionem meditante . Etenim iuratus ille affirmauit , se per quietem vi-  
disse Dei Matrem , Virginemque sanctissimam vestitu candido orna-  
tam , ac monentem , Ut ea via incederet , quam sibi unus de So-  
cieta ostenderet . Sic in Annalib. Societ. ann. 1602. fol. mihi  
444.



CLAS-